



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Lvtherus in Pathmo sua, ut ipse vocat, latet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

do, toto orbe celebrem (a) catechumenum inter
alia opera sua preclara a catholicis catechismis op-
portuit proliunde Deo Opt. Max. ut cum ad exe-
quendum Car. eius edictum non satis animi esset
futurum primoribus Germania; paruus lapis iste
de monte avulsus in itatuum Babyloicam (Lu-
theri scilicet opus) incurrendo pedes eiusdem
commollet, & reliquum corpus disponderet ad
ruinam.

LUTHERVS EXCOMMVNICATVS
in cæpto pergit. Biblia in Teutonicam lin-
guam vertere præsumit, multis additis, re-
cis, deprauatis, cum diabolo con-
fortium habet, ut ipse testatur.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

- I. Lutherus in Pathmo sua, ut ipse vocat, latet.
- II. Nouam eudere Religionem instituit.
- III. Diaboli cum Luthero Colloquium.
- IV. Lutherus Pathmo suo egressus, Carolstadium iritat.
- V. Quomodo Lutherus Academias abolere; & bonarum
litterarum studia extinguere conatus sit.
- VI. Lutherus Bibliis transferendis atq; interpretandis
operam dat.

Lutherus Alsterensis solitudine non e fere men-
ses per Nobiles Pielopsium & Steinbergium
Iussu Electoris reclusus, ac delicatissime habitus,
per ephebum conscium cibos ei apportantem, ni-
hilominus includi se fremens frendensque, scrip-
tis, quum aliter non posset, tam Germanica quam
Latina lingua editis, vlcisci se omniaque miscere
constituit: quæ à discipulis ipsius tamquam diui-
na excepta oracula, incredibili studio, fauore &
celeritate per omnes regiones mox spargebantur.
Et Chalcographos quidem ut strenuam ijs im-
premdis præstarent operam, facile lucri impulit
cupiditas; legendi vero cupiditatem interdictum
tanto magis accendit. Nec minus ille interim suis
partibus addictos litteris suis excitabat, inter alia
scribens: *Quare vestrum aliquis ad reliqua non respon-
dat? vel Ionas, vel Andreas Carolstadius? Equid cessat
Amsdorfius? An non vobis omnibus pariter Euangelij
gloria vindicanda est. Caput ergo contriui serpentis; cor-
pus cur non queatis calcare? Sed nihil peius ipsum
habuit quam vbi Parisiensium Theologorum sen-
tentia se suosque libros condemnatos vidit; co-*

que quam ille Facultatem antea primam totius
Orbis, & scientiarum Matrem appellauerat, tum
inauditis conuictijs oneravit. *Academia*, inquit,
Parisiensis in parte suprema qua Facultas Theologica
nuncupatur, est à vertice vsque ad plantam mera &
ut nix alba lepra vera nouissima Antichristianaque &
capitalis hæreseos; Mater omnium errorum in Chri-
stianitate, maxima meretrix spiritali quam sol um-
quam vidit, & vera postica Inferni Prophetatum est,
temporibus Antichristi omnes hæses, quæ umquam su-
erunt, in vnâ Camerinam confluxuras mundumque
perdituras. Id ego, inquit, ostendere intendo de Parisiis,
Papa veri Antichristi maximo fornicationis cubiculo;
atque probare eos esse peiores Montanis, Ebionitis, &
omnibus qui umquam fuerunt, hæreticis. Hæc ille cum
contra Vniuersitatem Parisiensem, quam non
multo ante omnibus scholis prætulerat, cuique
cenfuram ac iudicium de se detulerat, plenis buc-
cis ad populum Germanicè, deinde etiam scriptis
vndiquaque effundebat. neque solum ipse scur-
ribus tocis, mordacibus sannis, risuq; Sardonio
in eam Vniuersitatem incurrit: sed etiam hypera-
pistes eius factus est petulus Melanchthon iuue-
nis vix 24 annos natus, impudenter ausus garrire
aduersus Doctores tantæ doctrinæ & ætatis (b)
scripsit in eodem delicato latibulo Lutherus E-
narrationem in aliquot psalmos; & canticum D. Vir-
ginis. Tractatum de Confessione Francisco à Sickingen
patrono suo singulari 1. Iunij dedicatum. Item librum
contra Catharinum de Antichristo Postillam in Epi-
stolas & Euangelia Dominicarum. Responsum ad
Bartholomæi Latomi librum. Bullam Cœne Domini
quam Vesperinam ingluuiem appellat Germani-
cam in linguam scarrili translatione transcripsit.
(c) interea Caroli V. Imp. Fidei professio Romæ 10
Maij ex autographo lecta & eiusdem zelus fuit in
Consistorio Pontificio præclare laudatus. Accidit
tunc si quid aliud vnquam rebus Lutheri oppor-
turnum, Ecclesiæ vero Catholicæ triste, quod Ro-
bertus Marcanus, frater Leod. Episcopi, fierus
Francisci Galliarum Regis, ope, hinc, & ex alia
parte idem Franciscus Carolo V. bellum in Na-
uarræo Regno commouit (d) quo executio De-
creti Cæsarei aduersus Lutherum editi suspensa
fuit;

a eum Catechismum & Ferdinandus I. & Philip-
pus II. Hisp. Rex & Clemens VIII. sancierunt Edicta
& decretis suis. b Cochlaus in Act. Vlenberg cap. 7. ad fi-
nem. c Vlenberg cap. 8. vna Luth. n. 1. d Brousius in an-
nal. An. 1521. num. 27.

fuit, & penitus infirmata apud homines, apud Deum autem, contra quem non est consilium, aliud Ecclesie suae remedium est destinatum, nempe ut per id ipsum bellum, quo cacodæmon ad suummet & Lutheri propositum abutebatur, exitum eorundem causaretur, dum 21. Iunii (eodem plane tempore, quo Lutherus dæmoni in abroganda Missæ Sacrificio consentit) Ignatius Loiola Eques Hispanus, in arce Pampilonensi Navarrae regni Gallorum istibus læsus, per morbum & curam excitatus à Deo Spiritu tantum ex deteriore genere hominum, nempe è militaris licentiæ forma, profecit in sanctitatem Ecclesie Dei servitutam, quantum Lutherus ex optimo genere hominum, nempe Religiosorum ordine, in peius Spiritu Sathanæ communicando degeneravit (a) Ita ut ex eo die oppositis plane gradibus ille profecerit, hic defecisse ex Actis collatis notetur, nempe iste lectione ad SS. imitationem & cultum affici, hic abire longius & abrogare: iste durum castumque genus vitæ amplecti, ille illud excutere &c.

II. Unde facile intelligit cordatus lector, quam arroganti exemplo nimiumque superba imitatione imo blasphemè Lutherus solitudinem suam & delicatam & impiam in Thuringia vocaverit. *Pathos suam*, velut alter Evangelista Ioannes in insulam olim à Casare Domitiano relegatus, vbi etiam, quemadmodum D. Ioannes suam Apocalipsin, plurimos libros conscripserit: itemq; *Exeritium & locum exilij sui, vbi Deus se ipsi reuelavit. & secreta sua manifestavit.* Qualis vero hic Deus aut Angelus fuerit, postea apparebit. Hic Lutherus novæ religionis ex veteris ruinis exadificanda consilium cum suo Angelo iniij, eo artificio, ut ianua ac fenestra omnes voluptatibus ac carnis desiderijs aperta, pudori vero & bonis operibus clausæ essent, gnarus scilicet nulla re facilius homines allici ac tenacius irretiri posse. Neque tamen statim scopum sibi propositum attingere potuit, ob summam consiliorum & opinionum, quibus cerebrum ipsi æstuabat, inconstantiam. Dum vero omnes se vindicandi & quod proposuerat efficiendi rationes circumspicit. Idem Spiritus quasi libere iam emissus, in mortales passim furiose inuasit sibi opportunos, nam eodem mense Iunio ingens seditio exarsit Erfurti in Thuringia aduersus Ecclesiasticos Ordines, Flabello Lutheri excitata (b) & Solymannus Imp. Turca-

rum Belgradum initio Iulij cepit oppugnare, quod 29. Aug. Christianis ademit, (c) VVittebergæ Fratres Augustiniani, Lutheri Collegæ Missam, abrogare ceperunt mense Octobri (d) aliaque tristitia fieri per eos quæ Lutherus communicabant postquam Dæmoni disputando victus (in Iunio) se ipso teste triumphum concessit (e). Colloquium hoc suum cum dæmone tunc quidem subtrahit, aliqua retentus verecundia Lutherus postea tamen successu audacior factus, palam Mundo professus prolixè in libro De Missa angulari describit, vbi inter alia Missam, puram esse idololatriam, ipsius diaboli testimonio probat. Solet malignus hic spiritus, decipere aliquem volens, in angelum lucis se transformare: neque tamen ita se abscondere potest quin aliqua parte aut nota se ostendat. Ut S. Martinum deciperet, in Iesu Christi forma apparuit, sed ex superbia agnitus ab eodem & confusus fuit, relicto magno post se factore (f). Ut S. Antonium in nassam pertraheret, mulieris speciem assumpsit, sed vir sanctus è carnis quam patiebatur tentatione facile quis esset intellexit. (g) Quali tamen, monstruosa & terribili, ut Be-rengatio, an alia forma ipsi diabolus apparuerit, a Lutherus, quod meminimus, proditum non est: neque integram ille historiam nobis recensere voluit. Discipulorum ipsius quidam aiunt, Monachi specie & habitu ad ipsum venire solitum, sed ex vnguibus ab eo agnitum fuisse. Nam plerisque persuasum est, diabolum numquam maris aut feminæ speciem ita induere posse quin defectum aliquem monstruosum ostendat, cornua interdum, caudam, aut vngues, aut tale aliquid hoc tamen utcumque sit, Lutherus certe sapius profiteretur se exacte eum nouisse (h) quam confessionem eum mendacij suspectam habere oporteat non video. Quoniam vero huc delapsa est oratio, intermittere non possum quin pulchri illius & magnifici Colloquij verba quædam recenseam, ut tanto facilius Lector intelligat, quibus saxis noui huius Euan-

a Vita Ignatii per diuersos scripta, & Tomus I. Hist. Societ. Iesu. b Vlenberg. Vita Luth. cap. 6. num. 2. c Bazouius Anno 1521. num. 30. d Vlenberg. Vit. Luth. cap. 8. num. 3. e Vlenbergius. cap. 8. num. 2.

f Vita S. Martini per Sulp. Severum. g Vita S. Antonij per S. Athanasium. h Lutherus in Concione de Turb. sedandis.